

2° Insuper eodem Rit. (l. c. n. 8) praecipitur ut " sedes (confessionalis) patenti, conspicuo et apto ecclesiae loco posita, crate perforata inter poenitentem et sacerdotem sit instructa. „ In multis tamen locis confessiones surdastrorum utriusque sexus excipi solent in sacristia. Saepe ampliores determinaciones hujus obligationis exhibent statuta dioecesana. Videsis Stat. Mechl. n. 272 seqq. Etiam graviter delinqueret qui mulierum confessiones, excepto necessitatis casu, audiret extra ecclesiam vel in loco ecclesiae minime patenti, cum facile inde gravia scandala orirentur. Non videtur tamen id grave fore, si quis semel vel iterum id ageret in iis adjunctis locorum et personarum quae moraliter omne hujusmodi periculum removerent.

3° Sacerdos confessiones excepturus " superpelliceo et stola violacei coloris utatur, prout tempus vel locorum feret consuetudo. „ (Rit. Rom. l. c. n. 9) Regulares plures, per directam concessionem vel privilegiorum communicationem, facultatem habent audiendi confessiones in ecclesia publica, sola stola induti. Videsis Piat. l. c.

SECTIO II. DE SUBJECTO SACRAMENTI POENITENTIAE.

CAPUT I.

DE CONTRITIONE.

§ I. DE CONTRITIONE IN SE ET IN ORDINE AD SACRAMENTUM.

269. DEFINITIO. Contritio, quae primum locum inter poenitentis actus habet, animi dolor ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cetero. (Trid. Sess. 14. c. 4) Complectitur ergo : 1° dolorem ; — 2° detestationem ; — 3° propositum ; ac proinde non sufficit, ut Lutherus docuerat (propos. 7^a inter damnatas a Leone X ; Denz. n. 631), cessatio a peccato et vitae novae propositum et inchoatio, sed veteris etiam odium requiritur. De distinctione inter detestationem et dolorem de peccato, quae a Dogmaticis explicari solet,

non est quod solliciti simus : eo quod in homine viatore unum sine altero numquam erit.

DIVISIO. Praecipua divisio contritionis est in *perfectam*, quae proprie sibi nomen contritionis vindicat, et *imperfectam*, quae attritio vocari solet. Satis liquet ex Trid. (l. c.) discrimen inter utramque in eo reponi quod contritio oriatur e motivo caritatis, attritio e motivo inferioris ordinis. Docet enim Trid. contritionem in genere supra definitam *aliquando caritate perfectam esse*, attritionem vero communiter concipi ex turpitudinis peccati consideratione vel ex gehennae et poenarum metu. Non ita liquet quid requiratur et sufficiat ut contritio perficiatur caritate, eo quod de natura istius virtutis non pauca disputant Theol., ut breviter dictum est Vol. I. n. 211. Hinc :

1° Certo habebitur perfecta contritio, si motivum doloris est offensa Dei propter seipsum, non autem unice propter beatitudinem nostram, super omnia appetitive dilecti. Nec refert utrum contritio eliciatur e motivo alicujus attributi specialis Dei, ex. gr. misericordiae, justitiae, etc., an e motivo bonitatis divinae, quatenus haec omnes Dei perfectiones complectatur : nam infinita Dei excellentia in singulis Dei attributis reperitur. (Ball. P. n. 39)

2° Probabile est contritioni perfectae sufficere dolorem de peccatis quatenus per ea amiserimus aeternam beatitudinem nostram in Dei possessione sitam, seu amorem imperfectum amicitiae quo diligatur divina bonitas prout bona est diligenti. Nec propterea admittere debemus, quod parum probabile est, formale objectum caritatis esse bonitatem divinam in quantum est beatitudinis objectum. Nam, per praedictum amorem amicitiae imperfectum, directe ferimur in Deum ipsum quo volumus frui, non sub hac ratione formali, quia volumus esse beati, sed quia Deus Deique unio et familiaritas placet, ita ut, etsi in hoc non esset sita nostra beatitudo, id nihilominus vellemus. (Palm. de Poenit. Th. 22)

3° Multi Theol. antiquiores, quorum sententiam probabilem censent Suar. (disp. 4. sect. 2) et Lugo (disp. 5. n. 4), tamquam perfectam habent eam contritionem quae peccatum super omnia detestatur, etiamsi haec detestatio non oriatur ex caritate sed ex motivo oboedientiae, religionis vel poenitentiae. Certe talis contritio perfecta evadet, si una cum harum virtutum motivo consideratur infinita excellentia Dei cui est facta injuria, negata oboedientia, etc. ut facillime fieri potest. (Ball. P. n. 41)

4° Praecipue planum plerisque erit a consideratione Dei-Hominis, pro peccato ex amore nostri patientis assurgere ad detestationem peccati tamquam mali ipsius Dei : in qua detestatione ratio verae caritatis pro-

cul dubio reperitur. (Lehmk. I. n. 319; Frassinetti, t. I. nota 24) Quare potissimum hac consideratione tum confessarios, tum concionatores uti juvabit ad perfectam contritionem in animabus fidelium excitandam.

270. ASSERTA. I. Ad consequendam remissionem peccati semper requiritur motus contritionis vel attritionis. Nam, licet non repugnet a Deo condonari peccatum sine hominis poenitentia, e documentis revelationis aperte constat Ipsum, in praesenti ordine Providentiae suae, numquam veniam largiri impenitenti. Ideo Trid. (Sess. 14. c. 4): "Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius." Hoc verum est etiam de peccatis venialibus: nam, cum homo per illa inordinate inhaereat creaturis, ipsi non condonantur nisi per aliquam poenitentiam se ad Deum converterit. (S. Th. 3. q. 87. a. 1)

II. Contritio perfecta, etiam extra sacramentum poenitentiae, hominem Deo reconciliat.

Hanc veritatem, quam Dogmatici multis documentis e Scriptura et traditione probare solent, definivit Trid. (l. c.) et confirmat damnatio plurium errorum Baii, speciatim prop. 32^{ae}: "Caritas illa, quae est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum." Docet ibidem Trid. illam reconciliationem non esse adscribendam contritioni, sine sacramenti voto quod in illa includitur. Non requiritur tamen ut hoc votum explicitum sit, sed sufficit illud quod, supposita institutione sacramenti et obligatione eidem subjiciendi omnia mortalia post baptismum commissa, reperitur in actu perfectae caritatis ab homine baptizato elicitum. Nam ipsum Trid. adscribit effectum reconciliationis voto quod *includitur*, non autem quod adjicitur actui contritionis. Neque apparet ulla ratio ob quam caritas frustraretur effectu suo in homine qui, ob inadvertentiam vel ignorantiam invincibilem, non eliceret expresse confessionis votum. (S. Alph. n. 437. dub. 4)

Manifestum est remissionem venialium per contritionem vel attritionem non esse adscribendam voto sacramenti: siquidem istius recipiendi obligatio ad sola mortalia protenditur.

271. III. Attritio, quamvis sine sacramento poenitentiae peccatorem justificare nequeat, sufficit tamen ad eum in sacramento isto, ope absolutionis, justificandum.

Id clare evincitur e Trid. Sess. 14. c. 4., ut fusius apud Dogmaticos videre est. Hanc doctrinam, licet a quibusdam saec. xvii et saec. xviii AA. oppugnata fuerit, S. Alph. (n. 440) *certam* vocat et qua talem omnes hodie recipiunt. Hinc, qui in articulo mortis peccatum mortale cum

attritione confessus est, non tenetur ad eliciendam contritionem: nam ipsa cura salutis aeternae non obligat ad diligentiam exquisitam, quae omne dubium etiam metaphysicum excludat, sed tantum ad moralem diligentiam qua morale dubium excludatur, ut profecto excluditur attritione cum sacramento. (Lugo, disp. 7. sect. 13)

Neque admittendum, quod quibusdam AA. visum est (Pallavicini, de Poenit. c. 12; Juenin, etc.): attritioni, ut in sacramento justificet, inesse oportere amorem Dei quem vocant *initialem*, quo scil. Deus ametur quidem propter bonitatem suam, sed nondum super omnia. Hanc opinionem confutare solent Dogmatici. Videsis Palm. de Poenit. Theses 25 seqq. Provocant sententiae oppositae fautores praecipue ad ipsum Trid. Sess. 6. c. 6, ubi, inter dispositiones justificationi praevias, videtur hic amor initialis requiri his verbis: "In spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore; illumque, tamquam omnis justitiae fontem diligere incipiunt." Reapse Tridentinum h. l. videtur intendere veram caritatem. Sed perperam supponitur omnes dispositiones quae ibi recensentur tamquam praeviae ad justificationem obtinendam, vel cum solo voto baptismi, vel cum reali baptismi susceptione, esse necessarias ad justificationem quovis modo consequendam. Nec potest hoc ex alio loco derivatum argumentum praevalere contra silentium Trid. Sess. 14. c. 4. ubi, ex professo agens de discrimine inter contritionem et attritionem, illam e caritate, hanc ex aliis motivis inferioribus unice derivat.

272. IV. Ut contritio vel attritio de peccatis mortalibus effectus suos operetur, debet esse:

1^o *Vera*, h. e. reapse in voluntate, non tantum in sensu, vigenis: secus enim non esset *animi dolor*. (Trid. Sess. 14. c. 4) Hinc:

a) Non sufficit attritio *mere existimata*; ac proinde qui putat se esse attritum et ita ad sacramentum poenitentiae accedit, non recipit remissionem peccatorum suorum, licet ob bonam fidem a peccato sacrilegii immunis sit. Talem attritionem in sacramento sufficere, quidam magni nominis AA. docuere, quos citat et sequitur Ballerini. (Ball. P. n. 52 seqq.) Sed advertit P. Palmieri (in nota ad n. 76) merito hanc opinionem communiter derelictam esse. Dolor enim, si verus non est, nullus est, ideoque deest ille motus contritionis quem Trid. declaravit prorsus necessarium ad veniam obtinendam. (n. 270, 1) Frustra allegant existimata attritione auferri obicem, sacramenti autem effectus produci in iis omnibus qui obicem non ponant: nam praecise hic quaeritur num obicem ponat qui attritione vera careat. Neque sufficit vitae melioris propositum sine dolore, ut liquet ex dictis n. 269, I.

b) Si poenitens dicat *se dolere quod non doleat*, prudenter investigan-

dum erit utrum reapse careat vero dolore, an tantum desit ipsi intensitas doloris, praesertim sensibilis, quem non satis a rationali distinguere valeat. Quare dispiciat confessarius utrum iste serio velit peccatum relinquere et omnes obligationes implere quae eum sub gravi urgent, an habeat tantum velleitatem non peccandi in posterum. In priore casu censendus est habere dolorem verum; atque ita plerumque iudicandum erit: nam si dolet quod non doleat, id generatim fiet, quia peccatum odio habet. (Ball. P. n. 114 seqq.)

c) Ad obtinendam remissionem mortalium certe sufficit *dolor virtualis* seu actus caritatis elicitus ex. gr. ab eo qui de peccato suo non cogitat. Disputatur num haec contritio virtualis sufficiat ad sacramentum rite suscipiendum. Negant multi cum S. Alph. (n. 449): affirmant alii, ut Lugo (disp. 5. n. 92 seqq.), Ball. P. (n. 86 seqq.) Controversia satis otiosa est. Nam vix fieri poterit ut quis, accedens ad sacramentum suscipiendum et peccata accusanda revolvens, eliciat actum caritatis, neque simul in formalem peccati detestationem erumpat. Similiter dicendum de attritione virtuali, qualis foret actus quo quis ex metu inferni conciperet odium peccati et proponeret efficaciter vitare omnia peccata letalia, nec tamen formaliter doleret de peccato a se commisso: nam et haec hypothesis, in eo qui ad sacramentum poenitentiae accedit, vix unquam verificabitur.

273. 2^o Supernaturalis. Haec qualitas certe postulat duo: primum, ut supernaturalis gratiae lumine mens illustretur; alterum, ut contritio eliciatur e motivo quod ad Deum referatur. Attamen de primo non est quod solliciti simus, siquidem lumen gratiae nemini denegabitur.

Non sufficit igitur dolor de peccato quatenus tantum rectae rationi opponitur, infamiam vel morbum causavit, etc. Nam per contritionem homo convertendus est ad Deum, dum talibus motivis non convertitur nisi ad ordinem rationis, consortii humani leges, etc. (Lugo, disp. 5. n. 142) Sufficit vero dolor conceptus ex metu gehennae, ut diserte habetur ex Trid. (Sess. 14. c. 4); — ex metu poenarum purgatorii; — ex metu poenarum temporalium hujus vitae, dummodo spectentur ut a Deo inflictæ et ad detestationem peccati super omnia perveniatur, prout explicabitur n. 274. Putat quidem S. Alph. (n. 443) non licere ad sacramentum accedere cum contritione quae tantum hoc ultimo motivo innitatur, quia sententia negans sufficere talem contritionem est saltem extrinsece probabilis. Sed hanc ipsam extrinsecam probabilitatem exiguo niti fundamento ostendit Ball. P. n. 105 seqq. Quare censemus cum Viva (in prop. 1^{am} damn. ab Innoc. XI. n. 26) sententiam quae sufficientiam talis motivi asserit, esse probabilissimam, ac proinde legem tutius sequendi minime obstare quominus in praxim deducatur.

— Addendum est motivum turpitudinis peccati, puta injustitiae, impudicitiae, etc. (Trid. l. c.), quod, ut patet ex ante dictis, ita intellegendum est ut peccatum spectetur tamquam oppositum non tantum ordini rationis, sed et Deo.

Plerique (Bus. ap. S. Alph. n. 433; Lehm. II. n. 283. etc) hanc alteram qualitatem ita explicant ut motivum quo quis ad attritionem moveatur, debeat fide stricta apprehendi. Id alii (Ball. P. n. 48 seqq.) negant, existimantes satis esse ut poenitens fide supernaturali animetur.

Ceterum omnia motiva supra enumerata, quibus fideles ad perfectam vel imperfectam contritionem adducuntur, pertinent ad fidem strictam, vel tamquam a Deo revelata spectari possunt et solent. Quare nulla difficultas in praxi ex admissa priore sententia orietur. Insuper manifestum est eum qui ad sacramentum poenitentiae accedit, necessario exercere fidem et spem supernaturalem: nam eo ipso quod accedit ad recipiendam remissionem suorum peccatorum, explicite credit virtute sacramenti illa sibi remittenda, et explicite sperat Deum per sacramentum haec peccata remissurum. (S. Alph. n. 439) Nihil vero est quod obliget poenitentem ad actus fidei et spei distincte eliciendos, multo minus ad consuetas earum formulas recitandas.

274. 3^o Summa, ita ut nihil magis detesteris quam peccatum et eligas potius omnia mala perpeti quam mortaliter contra Deum peccare. Hic dolor vocatur *appretiative summus*, et residet in voluntate quae se a peccato avertit tamquam a summo malo, praelucente iudicio quo intellectus peccatum tamquam malum ceteris omnibus majus apprehendit. Confer dicta in argumento simili de caritate. (Vol. I. n. 210) Potest autem attritio summa concipi, etiam e metu poenarum temporalium, quamvis dentur aliae majores, dummodo in iis quas patimur agnoscamus iram Dei, quae in omnia peccata excandescat, praesertim si has poenas nostras spectemus ut inchoationem poenarum aeternarum, quibus ira divina peccatores impenitentes castigatura sit. (Ball. P. n. 109)

Ad contritionem summam sufficit ut poenitens malit generaliter pati quamlibet poenam quam peccare: nam "in speciali descendere ad hanc poenam vel ad illam non tenetur; quin immo stulte faceret, si quis seipsum vel alium sollicitaret super hujusmodi poenis." (S. Th. Quodlib. 1. a. 9) Non consentimus tamen Ball. P. (n. 116) carpenti tritam actus contritionis formulam: "Mallet millies mori quam iterum te, Deus, offendam." Nam *millies mori* passim adhibetur eo fere sensu quo diceretur *mala quaecumque pati*, ac proinde haec locutio nequaquam apta est ad phantasiam excitandam, ut fieret proposito aliquo supplicio vel morbo in specie. Imprudenter tamen juberet confessarius ut attente perenderet poenitens malum mortis subeundum esse potius quam iterum

peccetur. Iis vero qui difficultates patiuntur propter hypotheses quas sibi fingunt mali patiendi vel cupiditatis vincendae ad peccatum vitandum, suadeatur ut tantum generaliter penes se statuunt, occasione occurrente, facere quod debeant, quamvis nunc nondum potentiore gratia adjutis id prorsus supra vires appareat. (Ball. P. n. 116)

Nullus autem certus gradus intensitatis in contritione requiritur; ac proinde prorsus rejicienda est sententia quorundam veterum DD. postulantium contritionem *intensive summam*, seu quae vehementia sua superet alios omnes dolores vel amores qui in eodem homine reperiantur. Solent Dogmatici id speciatim probare de contritione perfecta. demonstrantes ex Scriptura et traditione amorem Dei et peccati remissionem concedi cuilibet actui caritatis, dummodo sit in sua specie perfectus, seu talis ut homo Deum super omnia amet et peccatum super omnia detestetur. Idem manifeste sequitur ex Trid. (Sess. 14. c. 4.) ad contritionem extra sacramentum justificantem nihil aliud postulante quam ut caritate perficiatur, nulla distinctione posita inter caritatem plus minusve intensam. Pariter liquet nullam determinatam durationem in actu contritionis requiri: nam in instanti potest esse essentia verae caritatis, quae sola requiritur ad perfectam contritionem. In praxi tamen cavendum a nimia festinatione, quae forte impediret ne debitae dispositiones obtinerentur. (Palm. de Poenit. Th. 24)

275. 4^o Universalis, ita ut se extendat ad omnia peccata mortalia, etiamsi haec forte memoriae non occurrant: nam nullum peccatum sine dolore remittitur (270, I); neque unum sine altero remitti potest, cum peccati mortalis remissio fiat per infusionem gratiae sanctificantis, quae cum letalis culpae reatus stare nequit. Quare contritio concipienda est vel e motivo universali, puta amoris Dei, timoris poenarum, etc., vel e motivis particularibus quae se extendant ad singula peccata mortalia expianda.

Ideo probabilius sacramentum validum est, sed informe si quis illud recipit reus duorum peccatorum gravium diversae speciei, puta furti et perjurii, contritionem autem elicit tantum de peccato furti ob specialem ejus turpitudinem, dum peccatum perjurii oblitus est. Plures tamen DD. quos citat S. Alph. (n. 444) et sequitur D'Annib. (III. n. 312. nota 19), non improbabiler existimant per talem confessionem remitti utrumque peccatum: quia, cum poenitens doleat ut divinam recuperet amicitiam, dolor ejus virtualiter se extendit ad omnia peccata mortalia, etiam oblivioni data, utpote opposita reconciliationi cum Deo intentae; ac proinde, si dolet de turpitudine specifica, debet etiam dolere de generica, quae talem reconciliationem impedit. Haec controversia parum ad praxim facit: nam vix ullus est poenitens qui non assurgat ad motivum contritionis universale, etiamsi a particulari initium poenitendi sumpsit.

Non requiritur ut actus contritionis ad singula peccata speciatim terminetur. "Sufficit dolor universalis de omnibus peccatis confuse conceptis, qui virtute extendatur ad singula, prout accusatio de illis fit virtute talis doloris." (Suar. disp. 20. sect. 4. n. 28)

276. V. Contritio de venialibus quae in sacramento poenitentiae accusantur, debet pollere tribus prioribus dotibus mox (IV) explicatis: nam eadem urgent rationes ac pro peccatis mortalibus. At non requiritur ut sit universalis; nihil enim obstat quominus unum veniale sine altero condonetur.

Valde probabile est pro venialibus sufficere detestationem virtuales, qualis videtur adesse in ipso desiderio recipiendi sacramentum ejusque effectus. (Ball. P. n. 93) Ut enim universe docet S. Th. (3. q. 87. a. 1), ad remissionem venialium obtinendam sufficit displicentia virtualis, quae habetur cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum et res divinas, ut quidquid occurreret quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei et doleret se commisisse, etiamsi actu de illo non cogitaret. Attamen, ob contrariam quorundam sententiam (Bus. ap. S. Alph. n. 433), semper formalis dolor eliciendus est ne sacramentum, absque causa, periculo nullitatis exponatur. Juvat tamen prior sententia, ne facilius de valore confessionis venialium dubitetur ob minorem eliciendae contritionis diligentiam.

Manifestum est graviter peccaturum eum qui sciens volens nullum dolorem haberet in confessione venialium: nam gravem irreverentiam inferret sacramento, cujus formam scienter irritam redderet. (Lugo, disp. 14. n. 109) Hoc tamen vix continget in homine, qui (ut supponitur) tam bene dispositus est ut nullum peccatum grave commiserit. Sufficit certe dolor de peccatis sive gravibus, sive levibus praeteritae vitae, quorum accusatio renovatur. Ubi dolor sufficiens ad valorem absolutionis habetur, communiter censent AA. (Lugo, l. c. n. 118) venialiter peccare eum qui scienter subjicit absolutioni veniale peccatum, de quo certo novit se non dolere: quia materiae validae invalida admiscetur, vel (quod verius est) quia in re levi sacerdos decipitur et sacramento irreverentia irrogatur. Alii (Mazzotta, tr. 6. disp. 1. q. 3. c. 1; Lehm. II. n. 291) probabiliter opinantur nullam deceptionem in tali accusatione contingere, eo quod confessarius satis novit consuetudinem piorum fidelium esse ut plura accusent quae non subjiciant tamquam materiam absolutionis, sed ob alias utilitates, ut supra (n. 260) dictum est de imperfectionibus enarrandis. Hanc posteriorem sententiam praesertim admittendam ducimus in casu satis frequenti, in quo poenitens dubitatum revera doleat de peccatis quibusdam levibus, eaque accusat sperans dolorem sufficientem fore vel aliam specialem utilitatem intendens.

Qualis dolor in confessione venialium sufficiat, amplius patebit ex dicendis de proposito in eadem confessione requisito. (n. 282)

277. VI. Venialia extra sacramentum poenitentiae remitti possunt attritione. Id communiter deducunt DD. e Trid. (Sess. 14. c. 5) docente haec peccata in confessione „ taceri citra culpam multisque aliis remediis expiari „ posse. Etiam cum divina bonitate congruit ut delicta multo leviora facilius condonentur quam peccata mortalia.

Attamen non videntur quaelibet venialia pro qualibet attritione remitti extra sacramentum. Ratio potissima id opinandi est : secus dicendum fore nullum veniale umquam per absolutionem remitti homini qui venialia tantum confitenda habeat, siquidem cuncta ei jam ante absolutionem remissa essent per attritionem quam elicisset ante absolutionem. Manerent quidem, etiam in illa sententia, aliae quaedam utilitates in venialium accusatione, puta amplioris gratiae et remissionis poenarum quae per sacramentum obtinentur, etc. Nihilominus plurimum detraheretur efficaciae quam fideles omnes huic sacramento inesse existimant ad venialium remissionem et ob quam, probante Ecclesia, tam late a pluribus saeculis invaluit venialium confessio. Probabilius ergo, extra sacramentum, pro gravioribus venialibus requiritur perfectior attritio, pro levioribus minus perfecta ; mensuram tamen hanc determinare nequaquam possumus. (Lugo, disp. 9. n. 32) In sacramento autem poenitentiae (idem dic de baptismo et extrema unctione) remittuntur omnia venialia, quorum attritio habetur.

278. VII. Non est necessarium ut dolor elicitus explicite **referatur ad confessionem**. Nam Trid. (Sess. 14. c. 4) explicans quaenam attritio disponat ad justificationem in sacramento consequendam, nihil de tali relatione dicit : quam proinde requiri gratis affirmatur. Idem quoque patet ex usu fidelium, qui saepe eliciunt contritionem de peccatis, puta occasione contionis audita, quin de confessione instituenda adhuc cogitent, et postea, ex desiderio veniae, ad confessionem accedunt : quos rite dispositos esse nemo rationabiliter ambigit. (Lugo, disp. 14. n. 38 seqq.) Sufficit igitur ea relatio virtualis quae semper habebitur quando poenitens, in ordine ad absolutionem, dat signum doloris sui praecedentis, ut explicat Suar. (disp. 20. sect. 4. n. 29), quem quidam falso pro sententia contraria allegant.

Opinatur tamen S. Alph. (n. 447) in praxi, ante confessionem, sequendam esse sententiam contrariam, utpote probabilem, ne sacramentum periculo exponatur. Sed valde debilis est ratio quam priori sententiae opponunt pauci AA., nempe oportere ut a poenitente dolor, tamquam materia, ad absolutionem, tamquam formam, ordinetur. Nam misso,

quod probabile est, dolorem non esse materiam proprie dictam (n. 263), talis relatio a ministro, non autem a subjecto sacramenti facienda est. Ipsi autem patroni hujus sententiae potissimum in eam devenisse videntur ex erroneo intellectu Suarezii, ut notat Lugo, l. c. n. 36. Quare censemus nihil obstare quominus sententia nostra, utpote probabilissima, ad praxim deducatur.

VIII. Contritio **praecedere debet** absolutionem, non tamen necessario confessionem.

Ratio prioris partis est : absolutionem dari posse tantum ei qui de peccatis suis dolet. Ratio posterioris desumitur e communi fidelium praxi : qui, si forte peccata absque dolore confessi sint et postea, hortante confessario, contritionem ante absolutionem conceperint, existimant se omnino rite absolutos esse. Atque ipsum Rit. Rom. (lit. III. c. 1. n. 17) jubet confessarium, *audita confessione*, conari ut poenitentem ad dolorem adducat. Quare rejicienda videtur, tamquam improbabilis, sententia paucorum AA. qui requirebant ut contritio aliquo modo praecederet accusationem, ut ista non esset mera peccatorum narratio, sed dolorosa confessio : quam sententiam Lugo (disp. 14. n. 13) vocat singularem et omnibus Theologis oppositam.

279. IX. Non requiritur **novus dolor**, quando poenitens jam absolutus, statim vel brevi post, accusat peccatum grave quod oblitus erat. Nam dolor elicitus brevi antea, e motivo universali (ut supponimus), moraliter permanet et complectitur istud peccatum oblivioni datum. Praxis autem communis confessariorum est, teste Lugo (disp. 14. n. 27), in iis adjunctis iterare absolutionem, omissa monitione ut poenitens novum dolorem eliciat.

Quidam tamen AA., quorum doctrinam S. Alph. (n. 448) probabilior vocat, contendunt tunc requiri novum dolorem : quia, cum per primam absolutionem completum sit iudicium, nova materia proxima ad novam absolutionem requiritur. Sed, etiam omissa probabilitate sententiae negantis hic agi de vera materia proxima, nihil obstat quominus aliqua materia partialis proxima deserviat pro duplici forma sacramentali, sicut corpus Christi, tamquam materia proxima, substatur omnibus consecrationibus. Addunt quoque contritionem hanc moraliter quidem perseverare, minime vero referri ad absolutionem. Sed imprimis de necessitate hujus relationis non constat (n. 278) ; deinde reapse hic dolor ordinatus fuit ad accipiendam absolutionem hujus peccati oblivione praetermissi aequae ac ceterorum. Tandem vix ullum A. hanc sententiam tenuisse ostendit Ball. P. n. 131. Quare putamus, cum Viva (in prop. 1^{am} damn. ab Innoc. XI. n. 26) et Ball. P. (n. 133), nostram

opinionem esse moraliter certam, ac proinde non obligari confessarium ut poenitentem in hoc similive casu ad dolorem renovandum excitet.

Utrimque vero probabiliter controvertitur utrum, ad novam confessionem de iisdem peccatis jam absolutis instituendam, requiratur novus dolor, an sufficiat ille qui in priore confessione elicitus fuerat et nondum retractatus supponitur. Ante confessionem sane inducendi sunt poenitentes ut dolorem iterent: quod omnes sponte faciunt. E probabilitate autem posterioris sententiae sequitur non facile inquietandos esse qui ex devotione confessi sunt peccatum gravius e praeterita vita, quamvis timeant ut ullum dolorem de eo iteraverint. (Ball. P. n. 136)

X. *Contritio elici potest aliquo temporis intervallo ante confessionem vel absolutionem, dummodo non fuerit per novum peccatum retractata et moraliter cum his partibus iudicii sacramentalis uniat. Quantum autem possit esse illud intervallum, determinari nequit, neque ad praxim conducit. Plures (Diana, t. 1. tr. 3. res. 94. n. 1; Ball. P. n. 138. etc.) tamquam regulam dant: inter varias partes iudicii sacramentalis intercedere posse eandem distantiam atque inter partes iudicii forensis, cujus instar poenitentia est instituta. Alii (S. Alph. n. 446. etc.) talem regulam nimis laxam putant; admittunt tamen (quod ad praxim abunde sufficit) non esse strictam obligationem renovandi doloris qui per aliquot dies praecesserit, dummodo virtualiter perseveret in aliquibus mediis, ex. gr. si poenitens, vi huius doloris, occasiones peccati fugiat, vel postea ex hoc dolore confessionem instituat. (S. Alph. H. A. tr. 16. n. 20) Haec utilia esse possunt ad sedandos scrupulos eorum qui, cum pridie se ad confessionem praeparaverint, sequenti die confitentur nullo renovato doloris actu.*

§ 2. DE PROPOSITO SPECIATIM CONSIDERATO.

280. I. Ad sacramentum poenitentiae valide suscipiendum necessario requiritur propositum non peccandi de cetero, ut liquet e definitione contritionis a Trid. data. (n. 269) Sufficit tamen **propositum virtuale** seu implicitum, quod necessario includitur in dolore, qui ex universali motivo conceptus sit: siquidem repugnat aliquem simul detestari super omnia peccatum a se commissum, ex. gr. e metu gehennae, et velle alio quocumque peccato gravi offendere Deum, postponendo gehennam aliis malis inferioribus quae per peccatum suum vitare intendat. Ratio deducitur e Trid. (Sess. 14. c. 4) declarante attritionem huiusmodi, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniae, peccatorem disponere ad justificationem in sacramento recipiendam.

Nihil ergo aliud requiritur quam ut *voluntas peccandi excludatur*: quod certe obtinet in dolore e motivo universali concepto. Videtur autem requiri propositum formale seu explicitum in casu, utique raro, quo dolor de peccato concipitur unice e motivo particulari: nam tali dolori non est implicitum propositum non peccandi de cetero, sed tantum vitandi illa peccata de quibus homo dolet. Cfr. tamen dicta n. 275.

S. Alph. (n. 450) duas alias sententias de hoc argumento affert: priorem, juxta quam semper requiratur formale propositum, quippe quod Trid. in definitione contritionis diserte ponat; posteriorem, juxta quam sufficiat propositum virtuale tantum in casu quo poenitens non cogitet de futuro. At haec posterior vix a nostra sententia discrepat; nam, dum statuit valere confessionem cum proposito virtuali quando homo de futuro non cogitat, concedit propositum formale non pertinere ad essentialia sacramenti; hypothesis autem quam facit hominis efficaciter dolentis et tamen, etiam ubi de futuro cogitat, non elicientis propositum vitandi peccata, chimaerica est. Prior autem sententia paucis omnino AA. nititur, ut fuse ostendit Ball. P. (n. 146 seqq.) Nec solida est ratio ab iis allata: nam in definitione contritionis nihil indicat utrum requiratur formale an virtuale propositum, dum e sequentibus verbis patet mentem Tridentini esse ut virtuale sufficiat, quemadmodum supra dictum est. Censemus ergo cum Viva (in prop. 1^{am} damn. ab Innoc. XI. n. 26), et Ball. P. (n. 150), contra S. Alph. (l. c.), sententiam nostram esse probabilissimam ac proinde tuto in praxim deduci posse. Juvandi tamen sunt poenitentes ut explicitate propositum eliciant, tum ut certius de sincera eorum contritione constet, tum ut propositum firmiter riteque determinato plurimum augetur confessionis fructus.

281. II. Dotes requisitae in proposito sunt (S. Alph. n. 451):

1^o Ut sit **firmum**. Scil. poenitens debet habere voluntatem omnino deliberatam non recidendi, et ita dispositus esse ut, nullius mali timore et nullius boni cupidine, peccatum in posterum admittere velit. Nullatenus autem requiritur *promissio* abstinendi a peccatis. Nec refert quod quis putet se unum vel plura peccata non vitaturum: quia propositum est actus voluntatis; existimatio autem illa est actus intellectus, qui ex illo proposito, ob humanae voluntatis mutabilitatem, non necessario sequitur. (Bus. ap. S. Alph. n. 433)

Quodsi poenitens certo credat, ob expertam inconstantiam et fragilitatem suam, se denuo relapsurum esse in aliquod mortale peccatum, S. Alph. (l. c.) censet talem non posse prudenter existimari firmo proposito praeditum: quia fieri nequit ut quis firmiter proponat se emendare, sciens quod Deus gratiam suam coadjuvantem non denegat facienti